



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Liutprandi Ticinensis Diaconi Opusculum, De Vitis  
Romanorum Pontificum**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Moguntiae, 1602**

XLIX. S. Simplicius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

A.CCCCLXI.

S. HILARIVS.

Syn. Romana  
c. 2. 3. 4.

**H**ILARIVS, natione Sardus, ex patre Crispino, sedit annos sex, menses 3. dies 10. Hic ordinauit Episcopos 22. presbyteros 25. diaconos 6. Hic Romæ multorum Episcoporum Synodum congregauit, in qua omnium collaudatione corroborauit, ne quis, qui uxorem non virginem, & qui secundam duxit, & inscii litterarum, nec non & aliqua membrorum damna perpessi, & hi, qui ex pœnitentibus sunt, ad sacros ordines aspirare audeant. ITEM, & quodcunq; quis commisit illicitum, aut à prædecessoribus suis inuenit admissum, si proprium vult vitare periculum, damnabit. Item generaliter interdixit, ne quis vnquam successorem sibi subrogare præsumat.

a epist. 3.

Item in <sup>a</sup> alia epistola, quam Ascanio Episcopo destinauit, illos Episcopos, qui sine Metropolitanæ consensu consecrati fuerint, stare concessit, ita dicens. *Licet hi, qui præter notitiam, atq; consensum tuæ dilectionis ordinati sunt sacerdotes cum suis debuerant auctoribus submoueri: ne quid tamen in necessitate tanta decernamus austerum, eos, qui Episcopi facti sunt, ita volumus permanere, si Apostolicis præceptionibus, & sanctorum Patrum statutis non reperiantur obnoxii, ac deinceps nihil, quod contra Ecclesiasticam disciplinam veniat, sicut hætenus factum est, perpetretur.*

XLIX.

ACCCCLXVII.

S. SIMPLICIUS.

<sup>a</sup> epist. 2.  
11. q. 3. c. priuilegium.

**S**IMPLICIUS, natione Tiburtinus, & ex patre Castino, sedit annos 15. mensem 1. dies 18. Hic ordinauit Episcopos 36. presbyteros 58. diaconos 11. Hic obiit 6. Nonas Martii. Hic constituit, vt presbyteri ad S. Petrum, & ad S. Paul. & ad S. Laurent. manerēt propter baptismum. Hic Ioanni Rauennati Episcopo <sup>a</sup> epistolam scripsit, in qua eum arguit, quod Gregorium violenter Episcopum consecrauerat, dicens, *illum priuilegium mereri amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Et inferius in eadem. Denunciamus autem, quod si posthac quicquam tale præsumpseris, & aliquem seu Episcopum, seu presbyterum, aut diaconum inuitum facere fortè credideris, ordinationes tibi Rauennatis Ecclesie, vel Æmiliensis noueris auferendas.*

<sup>b</sup> epist. 3.  
\*Floren:io.

Item aliam <sup>b</sup> epistolam scripsit \* Florentino, Equitio & Se-  
uero

uero Episcopis, in qua Gaudentio Aufiniensis Ecclesiæ sacerdoti, quia contra statuta canonum & sua præcepta illicitas ordinationes perpetraverat, totam penitus ordinandi potestatem auferri præcepit, & Seuerum in supradicta Ecclesia fungi illo officio iniunxit, quo ille abusus esset conuictus. Item præcepit, vt ministeria Ecclesiæ, quæ alienata à prædicto Gaudentio fuerant, instantia prædicti fratris, id est, Seueri præsumptor reparare cogatur.

L.

## S. FELIX III.

A. cccc-  
LXXXIII.

**F**ELIX, natione Romanus, ex patre Felice presbytero, de titulo Fasciolo, sedit annos 8. menses 11. dies 18. Hic ordinauit Episcopos 31. presbyteros 27. diaconos 5. Fuit autem hic vsq; ad tempora Theodorici regis. Hic in epistola<sup>a</sup>, quam destinauit vniuersis Episcopis per diuersas prouincias constitutis mandauit Episcopos, presbyteros, diaconos, spontaneos seu coactos rebaptizatos, si resipiscunt, vsq; ad exitus sui diem in pœnitentia oportere iacere, ita vt nec etiam catechumenorum orationi interfint, & communio laica eis tantùm in morte reddatur. Cæteros autem, id est, clericos siue monachos vel monachas, seu laicas vtriusq; sexus personas, quos violētia & periculo coactos iterationē baptismi subisse cōstiterit, vel qui aliquo commento se huiusmodi facinoris maculis dixerint non teneri, in pœnitentia per triennium durare decernit, & per manus impositionem ad societatem recipi Sacramenti, illo per omnia seruato, vt nemo eorum ad Ecclesiasticam militiam permittatur accedere. **ILLVD** etiam maximè cauendum instituit, ne quis Episcoporum aut presbyterorum in alterius ciuitate, vel sub manu positum sacerdotis, aut eum qui reconciliatum se esse dixerit, sine Episcopi vel presbyteri testimonio & litteris: aut in parrochia presbyter aut Episcopus in ciuitate suscipiat. Prædicti Papæ temporibus Glycerius Imperator, quia eo in tempore Episcopatus ex parte maximè pretio, plus quàm merito contingebat, edictum inde instituit dicens. *Hoc mansura in eum lege sanximus, vt quisuis ad Episcopatum potentum personarum auxilio suffragante perueniens, seculariter possideat, que seculariter fuerit consecutus, vt finitis vnius anni metis nouerit se Episcopatu esse priuandum. Hi verò qui talem consecrauerint pari de sacerdotio sorte deiecti similes pœnas temerarie consecrationis exoluant. Ciues quoque vniuscuiusq; urbis*

<sup>a</sup> epist. 1.De conf. d. 4.  
c. eos quos.De Glycerio  
vide Barō. ad  
ann. Dō. 474.